Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2089
Quelle:
Copyright:

225. occurrit Missa *Pro victoria christianorum*, e cujus Orationibus liquet, eam *contra christiane fidei pestiferos turbatores*, *contra hereticam prauitatem* et *hereticorum potentiam* dirigi, quo nomine non nisi *Hussitas* eo aevo designari potuisse credam. Successu temporis ad Ecclesiam aliquam Ordinis *Franciscani* devolutum Codicem probant Festa ejus Ordinis serius *Calendario* adscripta; ad nos vero e *Neostadiensis* Episcopatus Bibliotheca pervenit.

DCCCLIII.

R. 3095 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 265. 4. per duas columnas bene scriptus, coloribus illustratus et deauratis initiorum Literis *Missale* est, et quidem ad Ecclesiam *Patauiensem* pertinens; nam in praevio *Calendario* VII. Id. Jan. *Valentinus Ep.* et III. Non. Aug. *Inuentio S. Stephani* minio signatur. Ante *Canonem* picta visitur Icon Servatoris tribus clavis cruci adfixi et latere dextro confossi adstante Matre et Discipulo. In *Te igitur* &c. supplicatur *pro Papa nostro, et Antistite nostro, et*, quod singulare, *rege nostro*; inter *Collectas* tamen fit Oratio pro *Imperatore* et *Romano Imperio*. In Adpendice habetur etiam *Collecta contra Turcos*, et praeter varias Missas partim recentius institutas, partim nunc antiquatas *Missa de XXIV. Senioribus*, cujus Orationem adscribo: *Deus, qui ineffabili pietatis prouidentia prestitisti, vt viginti quatuor seniores in conspectu maiestatis tue fidelium offerrent supplicationes. Presta nobis miseris gratiam tuam: ut eorum precibus et meritis in cunctis necessitatibus nostris auxilium impetremus. Per dom.* De hoc errore e perperam intellecto C. 4. *Apocalypseos* profecto, et *Austriae* Provincias pervagante dixi *Vol.* I. P. II. *col.* 2288. Codicis scripti Aetas adlucet e subjuncto Chori Officio de S. *Leopoldo Austriae Marchione*, cujus ultima Antiphona in Vesperis haec est:

Vbique fines tuos pax possedit Austria Leopoldo te gubernante,
Que in melius reformabitur Innocentio ipsum sublimante.

Atqui *Innocentius* VIII. illum an. 1485. aris imposuit.

DCCCLIV.

R. 2238 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 280. f. max. magnifice perscriptus, initiorum literis et marginibus florulentis auro, coloribusque speciosis, et rubricis distinctus, quondam Bibliothecae Episcopatus *Neostadiensis*, praemisso Calendario, in quo praeter obscuriores quosdam ad diem 28. *Aug.* notatur: *Hic obyt Teodoricus Episcopus Noue ciuitatis* (ex Ord. Minor. adsumtus) *hora fere vndecima noctis anno* 1530. ita inscribitur: *Secundum consuetudinem chori iuuauiensis ecclesie missarum tem-*